



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XIX. Botrus duobus viris in vecte portatus, non obscure
Christum adumbravit cricifixum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XIX.

Botrus à duobus viris in veete portatus,
non obscure Christum adumbravit Cru-
cifixum.

*Absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt
duo viri &c. Num. 13. 24.*

I.

TRansierat jam annus & menses tres ab exitu Hebraici populi ex Ægypto, ubi Moyfes in solitudine Arabia quosdam Exploratores in Chanaan ablegaverat, qui illius regionis situm, populi mores & fertilitatem loci non tam explorarent, quam & de frugibus illius terræ secum in sua castra reportarent.

Erat autem tunc tempus primarum uvarum sub initium Junii, quo mense in Palestina utpote regione calida uvæ primæ & optimæ jam incipiunt maturefcere. Cum ergo dicti Exploratores inter alios pulcherrimos fructus etiam insignem quandam ac prægrandem uvam in vineis observassent, illam in abitu cum palmite absciderunt, quam duo viri Josue & Caleb, qui semper hanc fertilissimam terram Chanaan cæteris meticulosis Hebræis commendaverant, in veete in castra sua ad Moyfen & universum populum deportarunt: *Pergentesque usque ad-Torrentem Botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in veete duo viri &c.* Cui elegantissimæ figuræ illud, quod Ecclesia in hymno de S. Cruce cantat, pro epigraphe inscribo: *Dulce pondus sustinet.*

Botrus hic ex terra promissionis in Judæorum castra allatus, quid aliud designavit quàm Christum JESUM & hunc crucifixum? Per veetem, quem duo viri portabant, quid aliud præsignatum est quàm Crux, in qua divinus ille Botrus pependit, & usque ad ultimam sanguinis guttam pro salute nostra expressus est? Per duos viros, qui hanc miræ magnitudinis uvam ferebant, quid aliud agnoscimus quàm duo testamenta, vel si mavis, populum Judaicum & Christianum, ubi
Judæi

Judæi quidem in fide in Christum Messiam præibant, sed in Crucifixum credere noluerunt, Christiani verò botrum secuti salutem & vitam obtinuerunt. Et hoc est ad quod alludit Apostolus: *Nos autem* 1. Cor. 1. 23. *prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam &c.* Audi & S. Augustinum: *Hanc uvam, inquit, duo deserunt* S. August. *inserto recte pendentem: possunt isti duo etiam Christianum vel Judaicum populum* item 100. de *figurare: Isti ergo sunt duo, id est Synagoga vel Ecclesia populi, & quia prior suit Temp.* *Judaorum populus, præcedit Judæus, sequitur Christianus: Salutem suam hic ante conspectum suum gerit, ille post dorsum; hic obsequium præfert, ille contemptum. Laboremus ergo, ne à cervicibus nostris tam sanctam sarcinam deponamus &c.*

2. Sponsa illa dilecta, ubi Dilectum suum & electum ex millibus ob passionem à se obitam fasciculo myrrhæ comparavit, mox eundem suum amantissimum Sponsum Botro Cypri assimilare non dubitavit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Et quare Botrus Cypri?

Observa: Botrus Cypri dulcissimus ac pretiosissimus est, vinumque præstantissimum, quod vulgus Malvasiam vocat, in torculari pressus effundit; Sic Christus in torculari amarissimæ passionis pressus & expressus, nobilissimum vinum Engaddianum, hoc est Sanguinem pretiosissimum Sponsæ suæ Ecclesiæ dedit ac propinavit: *Cujus haustu,* ait Cornelius, *etiamnum ipsa vivificatur atque reficitur, latificatur atque inebriatur.*

Unde pergit eadem Sacra Sponsa: *Introduxit me in cellam vinariam; Cant. 2. 4. ordinavit in me charitatem.* Cella ista vinaria sunt sanctissima Christi vulnera, ex quibus non tantum fons effluit gratiarum & omnium benedictionum, sed & vinum nobilissimum germinans virgines: *Voluit* In Fascicul. *Christus* ait Venerabilis Vincentius Caraffa Soc. JESU Præpositus *Generalis dignissimus, post mortem cor suum lancea aperiri, & transfigi ad referandum nobis quantum fontem aquarum salientium in vitam aeternam, super alios quatuor ante referatos, quibus ablueremur, refocillaremur, & nutrire mur.* Myrrhæ. *Bibite ergo ex his fontibus, charissimi, & omnes veri crucifixi amatores ac cultores, donec inebriemini; Bibite securè.*

3. Somnia sunt somnia, sed non omnia, quia subinde DEUS per somnia multa revelavit & præsignavit mysteria, quale illud somnium fuit, quod Pincerna ille regius quondam in Ægypto in carcere constitutus habuit: *Videbam,* inquiebat ad Joseph, *coram me vitem, in* Gen. 40. 9. *qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvæ maturere, calicemque Pharaonis in manu mea. tuli ergo uvæ, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi pcutum Pharaoni.* Bova nova! reponerat Joseph:

Joseph: *Post tres dies recordabitur Pharaos ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum, quod & factum est.* Videns Pistor regius, quod Joseph prudenter hoc somnium interpretatus esset, & ipse somnium suum enarrare coepit: *Et ego vidi somnium, quod tria canistra farina haberem super caput meum, & in uno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui sunt arte pistoria, avesque comedere ex eo.* O pessimum hoc somnium est, subjungebat Joseph, excusa me de sinistra, sed vera interpretatione: *Tria canistra tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharaos caput tuum, ac suspendet te in cruce.*

Quaeres hic Lector prudens, quare Pincerna in libertatem & in gradum honoris pristinum fuerit restitutus, & pistor econtra ad patibulum damnatus & infami affectus supplicio? Observa Scripturam: Pincerna vitem vidit, & in ea uvas maturefcere, quas expressit in calicem, deditque Pharaoni adbibendum: Per uvas illas in calicem expressas nonnulli Interpretum cum S. Augustino Christum & hunc crucifixum accipiunt: *Calicem salutaris*, ait S. Augustinus, & vinum latitans in illa spiritali uva nobis prelum crucis expressit, quia ergo Pincerna ille, licet in umbra tantum, omnem suam salutis spem in mystica illa uva (crucifixo JESU) collocavit, merito salutem obtinuit & libertatem. Econtra Pistor similem uvam & botrum non vidit, sed aves & corvos ex canistro panes furantes, hoc pessimum illius & omnium procrastinatorum erat augurium & reprobationis signum. O Christiani! evigilate tandem, quia multi adhuc inter vos sunt imbecilles & inimici crucis Christi, de quibus Apostulus: *Muli enim ambulant, qui s (sape dicitur) vobis (nunc autem stens dico) inimicos crucis Christi. quorum finis interitus est.* O caveamus, amice Lector! ne fiamus aliquando inimici crucis Christi, in cruce enim Domini nostri JESU Christi omnis nostra salus, vita & resurrectio constituta est.

4. De elephante, qui inter alia animalia majoris corporis ac virtutis est, refert Scriptura ac Machabæorum historia, quod milites ingruente praelio ei uvam ostenderint, eamque in conspectu ejus expresserint, cujus viso sanguine mirum in modum ad cruentum cum hoste ineundum certamen animatus est. *Et elephantis ostenderunt sanguinem uræ & mori, ad acuendos eos in praelium.* Per hanc uvam expressam non immerito SS. Patres Christum JESUM & hunc crucifixum subaudiunt, qui in torculari crucis, velut uva pressus, si devota & attenta mente consideratur, miro modo servos suos animat ad certamen forte cum diabolo, mundo, carne ineundum: *Si enim, subintrat hic Cornelius, sanguis uva accendit elephantem, ut memor beneficii & curationis per illum ab hero accepta, pro eo depugnet, & in gladios hastasque proruat: Quid nos*
jacere

S. August.
Serm. 100, de
Teup.

Philipp. 3. 18.

I. Machab. 6
34.

facere oportet intuentes Christum, qui pro nobis omnem suum sanguinem, vitam- que in cruce profudit?

5. Hebraei illi ac Gentiles, qui in eruento illo spectaculo crucifixionis Filii Dei usque ad mortem ipsius stabant in Calvario monte praesentes, ubi considerabant attentiore animo hunc mysticum Cypri Botrum usque ad supremam cruoris stillam in torculari crucis expressum, in se non sine singulari fructu ex aspectu morientis Christi reversi sunt; unde de illis refert S. Lucas: *Et omnis turba eorum, qui si* Luc. 23. 48. *mul aderant ad spectaculum istud, & videbant quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.*

Vide ex his & considera, anime mi, quod non careat singulari fructu memoria pientissimi Redemptoris nostri in cruce pendentis, si vel obiter aspiciatur, vel quod salubrius est, meditando ad formandam practicè vitam inspiciatur. Proinde non incongruè S. Cyrillus: *Quisquis, inquit, oculum animi in Christum cruci affixum conver-* S. Cyrill. lib. 8. *terit, ab omni vulnere peccati illico curabitur, percutiet pectus suum, reversus per* cap. 7. *penitentiam ad Salvatorem.*

O animæ Christianæ! ad suavissimum hunc Botrum, crucifixum JESUM invito vos omnes; Botrus, prout constat, ad bibendum & comedendum aptus est; vultis bibere de dulcissimo hujus uvæ sanguine? Ecce calix Domini quàm præclarus est, venite ergo ad hanc cellam vinariam, quinque plenissimis gratiarum canalibus in rupe Golgothæ in vestram salutem fluentem; vultis cibum suavissimum? ad mensam Eucharisticam digni accedite: *Comedite amici,* Cant. 5. 1. *& bibite, & inebriamini charissimi.*



Ginther Unus pro omnibus,

K

CON-